



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VI. De Confessione extraiudiciali, ejúsque effectu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ex tali denuntiatione multæ personæ honestæ, prout pluribus mox dicetur.

§. V.

Utrum confessio, vel denuntiatio facta à Criminoso de sociis criminis sola, absque aliis indiciis sufficiat, ut Iudex ex officio procedere possit ad specialiter inquirendum, citandum, capiendum, vel etiam torquendum personas denuntiatas?

REp. Non sufficere solam denuntiationem in criminibus non exceptis, nullo alio concurrente indicio, ut Iudex possit de persona denuntiata specialem inquisitionem instituere, cum enim in his criminibus juridicè interrogare non possit reum de locis criminis, consequenter facta ad eum inquisitio illegitima erit, velut facta contra prohibitionem utriusque juris, nisi secundùm consuetudinem particularem Tribunalium talis à Reo socii facta denuntiatio, non tam ut testis depositio, quàm ut denuntiatoris recipetur, qui Iudici viam aperit ad inquirendum. In criminibus, verò exceptis, in quibus legitimè potest de sociis criminis interrogari criminosus de se confessus, si alio indicio verosimili denuntiatio ipsius adjuvetur, publicâ infamia v. g. personæ denuntiatæ, vel quòd familiariter cum criminoso egerit, quòd alterius etiam criminosi accedat denuntiatio, &c. potest Iudex non tantùm ad specialiter inquirendum, sed ad citandum etiam, capiendum, & quandòque etiam, si valde gravia & ingentia indicia adsint, ad torquendum denuntiatum procedere, non tamen ad condemnandum, nisi certæ probationes & indubitæ intervenerint.

§. VI.

De Confessione extrajudiciali, ejusque effectu.

Confessio extrajudicialis, parte preterente facta & cum speciali cautela expressione, in causis civilibus, plenè probat in iudicio contra confitentem, si duobus testibus probari possit; parte verò abente facta, aut causâ nullâ speciali expressione vel nihil probat, vel tantùm semiplenè contra confitentem. Uti colligitur ex c. Si cautio 14. De fide instrum. Nulli in priore casu evidenter errasse se, pars confiteus probet, aut per exceptionem non numeratæ pecuniæ v. g. elidi possit confessio, aut fiat tantùm per verba narrativa, &c. & in posteriore casu nisi in instrumento facta sit confessio, aut testamento, vel aliâ ultimâ voluntate, aut iuramento confirmata sit, aut fuerit gemitivata non uno tantùm tempore, sed et intervallo, vel facta fuerit non ad obligandum, sed liberandum ab obligatione, &c. his enim in casibus plenam probationem facit, etiam si pars adversa confessioni tali non adfuerit, aut specialis causa expressa non sit.

In causis verò criminalibus confessio extrajudicialis indicium tantùm sufficiens facit ad torturam, si in iudicio contra confitentem producatur, prout summitur ex c. Olim 25. De rescript. non quidem quasi sufficiens indicium faciat ad torturam, tertii, cum vix sufficiat ad indicendam purgationem canonice, sed ad torturam, & in præjudicium confitentis, nunquam tamen confessio tali plenam aut semiplenam probationem facit ad condemnationem.